



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Ordo episcopalis quadripartitus, & de his quæ ad hunc ordinem pertinent.
cap. viii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

& c. omnes. xxxviii. dist. vbi leguntur ea, quæ oporteat sci-
re eum, qui Episcopus est ordinandus. Et Episcopus ha-
beat apud se sapientes, Panor. in Rubr. de sum. Trinit. Et
laici debent scire articulos fidei implicite. Explicite ¶ sci- 13
re, est explicare articulos fidei, distinguere, & defendere;
implicitè verò est credere secundum quod ecclesia credit,
ita quod suam fidem submittat fidei ecclesie. Sed in mate-
ria hac non tradas obliuioni tex. in c. ignorantia. xxxviii.
dist. vbi litera dicit: Ignorantia mater cunctorum errorum
maximè in sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi of-
ficiū in ecclesia Dei susceperunt. Sed clericis ¶ inferio. 14
ribus videtur sufficere, si credant implicitè, sicut & laici:
debent tamen aliquid plus scire de sacramento altaris, in
quo quotidie versantur. Sed si habent expensas, tunc pec-
cant, si non instant, vt plus sciant, quàm laici. ita docto. in
Rubr. de sum. Trin. & fide catho. & præcipue vide Panor.
ibi, & ibi de articulis fidei. Et vide Durandum in tertio li-
bro sententiarum. xxv. dist. quæst. j.

ORDO EPISCOPALIS QUADRI-
partitus: & de his, quæ ad hunc ordinem
pertinent. Cap. VIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopali ordo quadripartitus.
- 2 Ordo quid sit.
- 3 Qui, & quot sint Episcopatus ordines.
- 4 Ecclesie sacramenta quæ, & quot sint.
- 5 Sacri ordines qui dicantur.
- 6 Nomen ordinis à canonico largius accipitur, asserendo, Episco-
patum ordinem esse.
- 7 Solus Petrus fuit Episcopus ordinatus.
- 8 In quibus differant Episcopi à simplicibus sacerdotibus.
- 9 Sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius exas-
diuntur.
- 10 Quatuor sunt Patriarchales sedes.



T autē ad materiā reuertamur, dico, quod ¶
 ordo Episcopalis quadripartitur, videlicet in
 Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis,
 & Episcopis, vt in c. cleros. xxj. dist. Et ¶ or-
 do nihil aliud est, quā quēdam potestas gra-
 dus in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt
 dispensare secundum confirmationem, & ordinem, ergo
 Episcopus est ordo. Et Episcopus ex sua ordinatione, vel
 consecratione habet ampliorem potestatem in collatione
 sacramentorum; & executione sacrarum actionum, quā
 simplex sacerdos; licet fuerit error Arrij, qui dicebat presi-
 byterum ab Episcopo non debere discerni. Ita sanct. Tho.
 in opusculo de articulis fidei, & ecclesię sacramentis, ad
 finem: & ibi dicit, quod Episcopatus magis est dignitas,
 quā ordo. Ibi ¶ etiam dicit, quod sunt septem ordines. scilicet
 presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolitatus, or-
 do exorcistę, lectoris, & hostiarij. Clericatus autem non
 est ordo, sed quādam professio vitę dantium se diuino mi-
 nisterio. Et sacramenta ecclesię sunt septem, dico sacra-
 menta nouę legis, quę conferunt, & continent gratiam.
 In eis enim virtus Christi sub tegmento rerum visibilium
 secretius operatur salutem, & idem sacramentum nouę le-
 gis est inuisibilis gratię visibilis forma. Et ¶ sunt septem
 (vt dixi) baptismus scilicet, confirmatio, eucharistia, po-
 nitentia, extrema vñctio, ordo, & matrimonium; quorum
 prima quinque ordinantur ad perfectionem vnius homi-
 nis in se ipso; sed alia duo, ordo scilicet, & matrimonium
 ordinantur ad perfectionem, & multiplicationem totius
 ecclesię. Itaque ad communem ecclesię vtilitatem ordi-
 nantur ista duo sacramenta. Et de sacramentis vide infra
 in sermone Episcopali, vbi late de sacramentis in ij. parte
 sermonis. Sed in primitiua ecclesia non erant minores or-
 dines, & erat sacerdotium. Panor. in c. j. de clerico per sal-
 ¶ promot. ¶ Et sacri ordines dicuntur subdiaconatus, &
 superiores: olim tamen in primitiua ecclesia non erat sa-
 cer ordo, sed postea fuit institutus, vt in c. miramur, de se-
 nis non ordinand. & c. a multis, de aet. & qual. Et dicun-
 tur isti sacri ordines per excellentiam: nam omnes ordi-

nes sunt sacri, sed isti dicuntur sacri, quia magis participat de sacramento corporis Christi, ut non liceat amplius retrocedere, cum in c. vt ex eo, de elect. in vj. & vide Panor. in c. si quis, de cleri. coniugatis. Et Episcopus potest conferre omnes ordines, consecrare alium in Episcopum, confirmare, ecclesias consecrare, moniales benedicere, & multa alia, quae non conueniunt simplicis sacerdoti, ut dixi. Vnde canonistae accipientes largius nomen ordinis dicunt, Episcopatum ordinem esse. Sed Episcopatus non est ordo, capiendū ordinem prout est sacramentum: quia ordo, ut est sacramentum, ordinatur ad eucharistiae sacramentum; sed Episcopus non habet potestatem superiorem, quantum ad sacramentum eucharistiae, nisi quantum habet sacerdos simplex: ergo Episcopatus non est sacramentum. Sed capiendū ordinem, prout nominat officium, siue gradum potestatis respectu quarumcūq; suarum actionum, Episcopatus est ordo, ut diximus, & est supra sacerdotiū. Et sic sumitur. xxj. dist. c. clericos, & de renun. c. post translationem, s. cum ergo, & lxvij. dist. c. sicut, & lxvj. dist. c. porro, & quasi in omnibus capitulis consecratio Episcoporum vocatur ordinatio. Est igitur Episcopus superior non solum propter iurisdictionem, sed etiam propter ordinem, quem habet modo perfectiori: & potestas iurisdictionis fuit permissa Apostolis, Matth. xviij. Quaecūque ligaueritis, & c. Et circa Episcopalem ordinem sciendum est, quod solus Petrus, quantum elici potest ex sacra scriptura, solus (inquam) inter Apostolos fuit Episcopus ordinatus: cum enim dicat text. in d. c. in nouo testamento, quod à Petro post Christum sacerdotalis coepit ordo, intelligendum est, ipsum fuisse Episcopum à Christo ordinatum, & per ista verba: Pasce oues meas, quae proprie Episcopo conueniunt. c. clericos. xxj. distinct. c. cap. perlectis. xxv. distinct. Et cum illa verba dixerit Dominus in recessu suo ab Apostolis soli Petro, solus Petrus appareat relictus Episcopus ab eo. facit text. in d. c. in nouo testamento. Probat etiam hoc in d. c. porro. lxvj. distinct. vbi Iacobus Alphai à Petro, Iacobo, & Ioanne Zebedei fuit Episcopus ordinatus. Et sic patet, quod non erant Apo-

steli Episcopi ordinati: Si enim fuissent alij ordinati, quare non & Iacobus? Et ideo credendum est, quod Christus ordinauerit Petrum Episcopum, cum dimisit eum suum vicarium per dicta verba, pascite oues meas, Ioan. xxi. vide etiam in c. xx. & vide in c. xvi. & xviii. Matth. & sanctum Lucam in c. xxii. & etiam in v. & vide infra in isto speculo c. de voto, ubi est bona additio, Episcopi vero in locum Apostolorum surrexerunt, & tenent vices eorum. c. in nouo testamento. xxj. dist. c. ecclesia. xxxv. dist. c. quorum vices. lxviii. dist. Et ita est argumentum, quod Episcopi debeant seruare morem eius, cuius locum tenent, vt xl. dist. c. non est facile, ubi legitur: Non est facile tenere cathedram regnantium cum Christo; & non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercet opera eorum. Et notabis ¶ differentia inter Episcopos, & simplices sacerdotes; quia licet sex sint, quæ communiter ad omnes pertinent sacerdotes, videlicet catechizare, baptizare, prædicare, conficere, soluere, ac ligare; tamen ad Episcopum nouem specialiter spectant. scilicet clericos ordinare, & virgines benedicere, & Pontifices consecrare, manus imponere, basilicas dedicare, degradandos deponere, synodos celebrare, chrismum conficere, vestes, & vasa sacrare, in fronte chrismare, benedictionem solennem ante pacem dare. c. perle. c. i. xxv. distinct. & lxviii. distinct. c. quamuis. Sed maiores, & minores sacerdotes communiter in quibusdam vicibus gerunt summi Pontificis, id est, Christi. Nam pro peccatis obsecrant, & per penitentiam reconciliant peccatores. Mediatores enim sunt inter Deum, & hominem; dum præcepta Dei populo deferunt prædicando, & Deo vota porrigunt supplicando. Et ¶ sacerdotes quanto digniores fuerint, tanto facilius in necessitatibus populi, pro quibus clamant, exaudiuntur. j. quest. j. c. ipsi sacerdotes. & in c. xx. Genes. legitur: Redde uxorem suam, & orabit pro te, quia propheta est: & in epist. Iacobi c. fin. dicitur: Multum enim valet deprecatio iusti assidua: & Petrus dixit in Canonica. j. c. iij. Oculi Domini super iustos, aures eius ad preces eorum. Et in cap. antiqua, de priuilegijs Concilij ¶ generale ponit ordinem quatuor Patriarchalium sedium: ubi

vbi litera dicit: Sancta vniuersali synodo approbante sancimus, vt post Romanam ecclesiam, quæ disponente Deo super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra; Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant. & in d. c. videbis multa de Patriarchis. Et Patriarcha quam potestatem habeat, vide Specul. in tit. de dispensa. §. nunc breuiter, & §. sunt quoque. & ibi Bald. in addit. & vide Cardi. in Clemen. in plerisque, de electio. & vide Spec. in tit. de delegat. §. vj. & in tit. de iurisdic. omn. iud. verfic. secundum Canones. Et vide Felin. in c. ex literis. de offi. deleg. Et vide Spec. in tit. de appella. §. iij. verfic. item non debet. Et nota, quod graduum, & ordinum distributio ecclesiæ unitatem conseruat. cap. ad hoc. lxxxix. dist. Itaque diuersitas ordinum propter maiorem concordiam est statuta. c. licet. il. ij. xlv. dist.

DE RESIDENTIA SANCTISSIMO-

rum Episcoporum, & de coadiutore.

Cap. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopus in sua cathedrali Ecclesia residere debet. & num. 4.
- 2 Vtrum Episcopus votum longæ peregrinationis sine licentia Pontificis emitte possit.
- 3 Fugiat Episcopus si specialiter queritur tralati salus.
- 5 Cardinalis tenetur residere in Ecclesia sibi intitulata.
- 6 Episcopus, etiam si sit senio confectus, vel infirmus, an destitui possit.
- 7 Aliqua circa materiam coadiutoris. & num. 10.
- 8 Episcopus nolens coadiutorem habere, an & à quo cogi possit.
- 9 Beneficia vtrum per coadiutorem conferri possint.
- 11 Per quem, ad cuius instantiam, & ex quibus causis detur coadiutor Ducibus, Baronibus, & alijs iurisdictionem habentibus? Ad quid postea teneatur, & facere possit.
- 12 In canonizatione sanctorum, vtrum Ecclesia errare possit.

E 5

3 Quando